

Version latine n°3 : trahison à la gauloise

Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

[Erant apud Caesarem in equitum numero Allobroges duo fratres, Roucillus et Aecus, Adbucilli filii, qui principatum in ciuitate multis annis obtinuerat, singulari uirtute homines, quorum opera Caesar omnibus Gallicis bellis optima fortissimaque erat usus. His domi ob has causas amplissimos magistratus mandauerat atque eos extra ordinem in senatum legendos curauerat agrosque in Gallia ex hostibus captos praemiaque rei pecuniariae magna tribuerat locupletesque ex egentibus fecerat. Hi propter uirtutem non solum apud Caesarem in honore erant, sed etiam apud exercitum cari habebantur ; sed freti amicitia Caesaris et stulta ac barbara adrogantia elati despiciebant suos stipendiumque equitum fraudabant et praedam omnem domum auertebant. Quibus illi rebus permoti uniuersi Caesarem adierunt palamque de eorum iniuriis sunt questi et ad cetera addiderunt falsum ab iis equitum numerum deferri, quorum stipendium auerterent.

Caesar neque tempus illud animaduersionis esse existimans et multa uirtuti eorum concedens rem totam distulit ; illos secreto castigauit quod quaestui equites haberent, monuitque ut ex sua amicitia omnia exspectarent et ex praeteritis suis officiis reliqua sperarent. Magnam tamen haec res illis offensionem et contemptionem ad omnes adtulit, idque ita esse cum ex aliorum obiectationibus tum etiam ex domestico iudicio atque animi conscientia intellegebant. Quo pudore adducti et fortasse non se liberari, sed in aliud tempus reseruari arbitrati, discedere a nobis et nouam temptare fortunam nouasque amicitias experiri constituerunt.] Et cum paucis conlocuti clientibus suis, quibus tantum facinus committere audebant, primum conati sunt praefectum equitum C. Volusenum interficere, ut postea bello confecto cognitum est, ut cum munere aliquo perfugisse ad Pompeium uiderentur ; postquam id difficilius uisum est neque facultas perficiendi dabatur, quam maximas potuerunt pecunias mutuati, proinde ac si suis satis facere et fraudata restituere uellent, multis coemptis equis ad Pompeium transierunt cum iis quos sui consilii participes habebant.

Quos Pompeius, quod erant honesto loco nati et instructi liberaliter magnoque comitatu et multis iumentis uenerant uirique fortes habebantur et in honore apud Caesarem fuerant, quodque nouum id et praeter consuetudinem acciderat, omnia sua praesidia circumduxit atque ostentauit.

César